



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quorsum spectat, quod ait, duodecim horas diei esse?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

resurrectionem post quadriduum, nemo ergo quicquam meretur? Deus bonorum operum meritis augmentum gratiæ, gloriam cælestem promissit, celerem resurrectionem non promissit, sed nec eam Lazarus poposcit, cui satis erat semel gustasse mortem.

Mereri igitur non potuit, quod nec Deus promissit, nec ipse quæsiuit. Alioqui dilectio Dei tantum abest, ut merita tollat, ut potius nulla esse possint, nisi Deus & gratuito promittat, & gratiam donet. Ita Augustinus de gratia & lib. arb. c. 6. cum testimonia scripturæ contra Pelagianos attulisset, addit: *Hic & talibus testimonijs diuinis probatur, gratia Dei non secundum nostra merita dari, quæ in eo quidem non solum nullis bonis, verum etiam multis meritis malis precedentibus videmus dari: & quoti die dari videmus. Sed plane cum de a fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illa tamen.*

Gratiam merita sequuntur.

An te vero amauit, quam gratiam contulit; ideo enim donat, quia amat. Omne enim meritum in nobis facit gratia. Præmium autem dati meritis testatur Augustinus, de moribus Ecclesiæ, l. 1. c. 25. & tract. 3. in Ioannem, de Paul'o agens. *Iam debitum flagitat, iam debitum exigit: nam vide verba sequentia. Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Ut autem susciperet gratiam, misericordem patrem opus habet: ut premium gratiæ, iudicem iustum.* Consultæ & tractatu 67. in Ioan. & expositionem in Psal. 93.

Lazarus igitur ex gratiâ Dei, cui cooperabatur viuens præmium habuit vitam æternam, quod meritum est merces, non autem villo merito suo à Christo resuscitatus est.

VERSUS 9.

*Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt.*

QUESTIO I.

*Quorsum spectat, quod ait, duo decim horas diei esse?*

§. 1. Discipulos timentes iterum in Iudæam proficisci memores scæuitiæ Ierosolymitanorum iuber absque metu esse. *Eamus in Iudæam inquit. Syrus Thau nizeel, venite eamus. Nolite, inquit timere, etsi nuper benefactis meis ingrati in furorem acti, lapidare me voluerint, & iam ferale decretum fecerint, ut quicumque me deprehenderit, deferat magistratui, duodecim tamen sunt horæ diei, quibus ego cum ambulem, non offendam etiam inter mille pericula. Lyranus expositio quæ eadem & S. Thomæ multis placuit, & facilis est. Nunquid duodecim sunt horæ diei? & ut horæ, ita animi hominum instabiles, ut quod vna hora decreuerint, altera rescindant? furenter irascuntur, temere ponunt iras. Non est illa tam contentinenda, quam multis videtur expositio. Nam solent animi hominum mutari, non in dies modo, sed & in horas; facile iras vulgus ponit, præsertim non legitima causa sumptas. Plerumque ira cum ingenti flamma exarsit, parua mora euanescit, verbo frangitur. Solent ita loqui. Nemo sapit omnibus horis: esto illis nuper furor iraque mentem abstulerint, reddet illis dies insequens magister, & iudex prioris. Consilium in melius referent. Non dissimili vtu, sed alio sensu dictum est, omnium horarum homo. Certe Horatius cum inconstantiam notat: *Et mutatur in horis,* inquit:*

Tutos fore ostendit.

Animi mutabiles.

Describit in Hercule Octavo similem mutationem Seneca:

*Euripus vndas flecitur instabilis vagas, Septemq; rursus flecitur, & totidem refert. Dum lassum tuan mergit oceanus iubar.*

Cicero pro Plancio, suffragia totius populi streto & Euripo comparat. Communi ergo argumento animos suorum delectos consolari, & erigere constituit, duodecim esse horas diei, populum esse beluam *καμήχανον*, singulis horis aliud atque aliud volentem; his diei horis si quis ambulet, facile posse manus eius euadere, mollia tempora alloquendi, & ducendi captare.

§. 2. Chrysostomus duas adducit expositiones. Vel dicere Christum. Nullius mali se sibi esse conficiunt, itaque nec metuere, *ἵνα ὁ τὸ Φῶς ἔκαστος τῶν βλέπων ἐν ἀσφαλείᾳ ἕσται, εἰς τὸ Φῶς τῆς χάριτος τῆς βλέπων, πολλῶν μάλλον ὁ μὲν εἶδεν, ἔτι μὴ δόξης ἑαυτὸν εἶδεν.* Vel, quod qui lucem huius mundi videt, est in securitate. Si vero lucem mundi videns multo magis, qui mecum est, si non à me seipsum seipsum videt. Cylilius nondum esse tempus relinquendi Iudæos, nec puniendi, sed adhuc beneficia in eos porro conferenda, diei enim duodecim horas, nunc eas esse, quibus benefacere constituerit, Augustinus mysticè interpretatur. Christum solem esse, Apostolos vero horas, eos sequi, non præire sententia sua debere. Verba eius tract. 49. in Ioan. sunt ista: *Cum ego vellem dare consilium hominibus Deo, discipuli magistro. serui Domini, aegroti medico, corripuit eos, & ait: Nonne duodecim sunt horæ diei? Quia ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum, inquit, dies, & vos hora, nunquid hora diei consilium daret. Hora diem sequuntur, non dies horas. Si ergo illi hora, quid iudas, nonne & ille inter duodecim horas? Ad hoc responderet, in hoc Dominum non Iudam, sed successorem eius præuidisse. Quo factis ostendit, se non literalem, sed mysticum sensum hac in sententiâ secutum.*

Christus in nocent, factos se uerit præstat.

§. 3. Verus est sensus. Horas duodecim esse diei, per diem si quis ambulet, quacunq; horâ, non impingere, eo quod lucem habeat; at si lapsis duodecim horis ambulare noctu velit, offendere eum, quia lux in eo non est, ut igitur duodecim horæ diei cum luce sunt operum arbitriæ, illisq; homines res suas expediunt, noctu quiescunt, ita Christus quoque diem genitum, & horas diei; hoc est tempus docendi, miracula faciendi, & omnes illius temporis articulos habet definitos. Itaque quicquid eo tempore, & vbi cumq; egerit, non poterunt, vel in fidiâ, vel vlla vis hostium impedimenta esse. Nec Domino, nec Apostolis Iudæorum machinationes nocere possunt, cum omnis in irritum scæuities cadat. Solem fallere quis posset? quis cæli cursum posset inhibere? vere dictum.

Horæ diei tempus genit.

*πολλὰ κεν εἶδεις εἰ τὸν θεὸν ἑξαπατήσους. Multa necesse est scias, ut Deum fallas.*

Hæc quidem non eo pertinent, ut temerè nos periculis ingeramus, sed ut cum officium nostrum requirit constantiam, Deo confidamus, nec salutem nostram ab hominum insaniâ pendere credamus. Fugit aliando Christus, sed tempus fugiendi erat, nunc meridiam flammam ingreditur, hora enim erat; ut omnia imminencia discerneret, & tandem se sponte aduersarijs daret. In Apostolis Iudæa carnis, & Spiritus ingratus, Domino timent, & sibi interim tamen rectè faciunt, quod Christum sequuntur.

Meliorum dicitur a bono apparet.

De horarum diuersa ratione, de æqualibus, & inæqualibus, vulgaribus, naturalibus, multa apud Clauium alioque videri possunt. Apud Iudæos erant inæquales, non enim magna est diei diuersitas cum minus ab sint à lineâ æquinocæiali, minusque obliquum signiferum habeant.

VER-

ADAMI CONZEN  
113  
+ Evangelium  
CVI  
14